

commissione alienarum paroeciarum, clare dicit paulo infra latina expressione: »Exstant ad praesens in tota dioecesi XIII fratrum praedictorum coenobia singulaque ecclesias matri-ces habent, aliasque plures iisdem unitas, in quibus divina officia ritu romano, latinoque idiomate, peraguntur, ac sa-cramenta ministrantur, cum parochialis cura animarum non in praedictis solum monasteriis, sed et in caeteris omnibus parochialibus ecclesiis dicti episcopatus per fratres eosdem tantummodo exercetur«.¹³³ Ipse episcopus Ogramić, qui ju-ra ad parochias defendebat, in sua relatione, exarata tem-pore supra enarratae controversiae, non aliter loquitur. Sic enim, enumerato numero conventuum, continuat: »suppo-nendum duo de praeteritis conventibus (Rama et Srebreni-ca) non habere in hac dioecesi formales parochias pro qui-bus episcopo subministrarent sacerdotes ad earum curam; caeteri octo sic sunt in hac dioecesi dispositi, ut quisque eorum obtinuerit aliquot pro se parochias, quarum proven-tu et fructu annali se ipsum et fratres suos sustinet«.¹³⁴ Hier-onymus Pastritius unionem parochiarum in Bosna cum re-spectivis eorum conventibus exaequat unioni paroeciarum ea-rundem qualis in Italia invenitur »quando... parochia sit an-nexa alicui monasterio vel conventui regularium«.¹³⁵ Ex qua paritate concludit ad eadem jura »prout practicatur in Ur-be, ubi multae parochiales ecclesiae sunt annexae mona-steriis et conventibus regularium«.¹³⁶ Et ulterius ex ratio-ne concessionis Eugenii IV a. 1446 ad parochiarum natura concludit: »et propter hanc causam istae parochiae unitae sunt monasteriis per seipsum et regularibus«.¹³⁷ Nota, hic

¹³³ Fer mendžin, Acta Bosnae, 479, n. 1420.

¹³⁴ Jelenić, Spomenici, Starine, XXXVI (1918), 133.

¹³⁵ Ibidem, 153.

¹³⁶ Ibidem, 153.

¹³⁷ »Nec obstant verba in corpore privilegii supra dicti apposita, sci-licet donec et quoisque sedes apostolica aliud supra hoc duxerit ordinandum, quia adhuc sedes apostolica nihil contrarium ordinavit et parochiales ecclesiae alii sacerdotibus non possunt conferri, dum in regno Bosnae nul-lus sacerdos saecularis reperitur et ecclesiae nullos redditus habent, pree-ter tenuissimas eleemosynas, quibus sustinentur fratres, ecclesiae et mo-nasteria et propter hanc causam istae parochiae unitae sunt monasteriis per seipsum et regularibus«. Jelenić, l. c. 158.